





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-183317-p0002-3

DFG

Ac 3475
DE RELIQVIIS
ANTIQUITATVM AGRI
NEAPOLITANI,

EPISTOLA
AD IOHANNEM
MISNAE PRAE=
SVLEM.




25.

LIPSIAE
IOHANNES RHAMBAVVS
EXCVDEBAT.

Anno

25
— M. D. LIX.

S.



Nnus quartus iam agitur Ampliss.
Præsul, cum studiorum causa unà
in Italia uiximus. Erat autem tunc
vtricq; nostrum hoc propositum, ut
non solum audiremus illos, qui in
magna frequētia Scholasticorum,
& cum magna laude Iura profite-
bantur: verum ea quoq; uideremus quæ eruditorum
hominum scriptis celebrata essent, ac propter reue-
rentiam antiquitatis nescio quid diuinum in se con-
tinent, meo quidem iudicio. Itaq; in audiendis præ-
ceptoribus diligentes eramus, & in perlustrandis
eius regionis locis tantum insumebamus temporis
quantum nobis ab otio literario supererat. Nec uero
ullam occasionem peregrinandi pretermisimus, quā
nō arriperemus, modò liceret: quod existimaremus,
etiam hac in parte consuli studijs nostris, eamq; rem
ad iudicium formandum plurimum posse. Nam
cum duo sint, quæ coniuncta efficiunt politicum ho-
minem, doctrina & experientia: alterum ex librīs
atq; præceptoribus petendum est: alterum peregri-
natio præstat. Doctrina uero minus carere experi-
entia potest, quam experientia doctrina: quo fit, ut
experientiam pariat atq; nutriat. Ut autem plures
causæ sunt propter quas suscipiuntur peregrinati-
ones, ita aliud genus alios magis decet: estq; alias
finis eorum, qui propter quæstum peregrinantur:
alias eorum, qui honesti otij causa, si modò illud otij
um debet appellari, quod multiplices molestias in
se habet. Sed istæ sunt æque omnibus communes,

A 2

illis

illis tamen leniores, (ut arbitror,) qui uirtutis causa eos suscipiunt. Quæ enim molestia grauis esse potest huic, cuius animus incredibili studio cognitionis flatur? Aut quæ peregrinatio tam periculosa, quam non expectatio quædam reddat tutiorem?

Equidem non assentior ijs, qui omnem vitam in angulis traducendam putant, aut qui existimant genus hoc peregrinationis obesse potius quam prodesse homini literato. Habet profectò omnis peregrinatio hoc emolumenti, ut mores instruat, eosq; ad communem hominum societatem componat: quæ res homini literato, uel imprimis necessaria est, deinde iudicium format: postremò vnumquemq; admonet officij sui, & ostendit quam nihil sit stabile, & perpetuum in vita. De historia deq; Poëtarum scriptis, nihil opus est monere, in quibus nonnulla huiuscmodi sunt, ut neq; vlla orationis vbertate aut contextu ita effingi possint, neq; interpretum cura ita explanari, quin aspectum potius desiderent. Quæ enim ἑρτίωσις potest esse tam illustris, aut quæ nam interpretatio tam plana atq; perspicua, quam non superet ipsa actio? Atq; ut longè rectius percipiuntur ea, de quibus aliquid legimus obscurum siue intricatum, si modò uestigia quædam illorum à nobis conspiciuntur, quam si ex interpretum labore, & quasi diuinatione quadam nobis haurienda sunt: ita non minus grata & iucunda in ijs est antiquitatis cognitio, quæ uel sola ingenia honesta excitare potest, & bonarum artium studia alit. Gloriatur alicubi Ciceron, reperisse se sepulchrum Archimedis Geometræ ex inscrptione spheræ & cilindri, idq; ait se Arpinatis suis ostendisse vepribus & squalore obductum,

quod

quod ille iam diu obijsset. At non inferiora his, ab alijs paulò antè nostram ætatem reperta sunt, & quæ non minus admirari deceat. Testis est Raphael Vo laterranus, qui scribit sua tempestate in via Appia propè Romam effossum cadauer mulieris, oblitem crasso vnguento, & incorruptum, mauseoloq; inclusum, quod marmorea tabula tegeretur. Habuisse autem inter pedes candelam ardente, quam nutriti uisset idem liquor, eam subitò extinctam, quam primum tabula semota esset, ipseq; ignis aerem sentiret, & addit plures suspicatos, Tulliolæ filiæ Ciceronis corpus fuisse, quam ille vnicè dilexerat. Testis item est Nicolai V. Pont. Max. liberalitas, cuius opinor ætate uixit Cyriacus quidam Anconitanus, mirus antiquitatis inuestigator, non Italiæ solùm, sed totius propemodum Europæ, & bone partis Asie, atq; Affricæ, qua è re antiquarij cognomen accepit, & immortalem sui nominis famam reliquit apud posteros. Scitum illud est, quod interroganti cuidam, cur tantum operæ hisce rebus impenderet, respondisse fertur, velle se resuscitare mortuos, nimirum recte indicabat, multa intercidisse iniuitate temporum, quæ diligentia quadam restaurari, & ab iniuria obliuionis vindicari possint. Ergo & iucunda est, & ad gubernandam vitam omnino vtilis, & necessaria peregrinatio: non quidem illa solum, quæ (vt dixi) propter quæstum suscipitur: verum magis illa quæ honesti otij causa. Vnde Homerus Vlyssem suum hoc præcipue Epitheto ornat, quod eum vocat πλήροπον, eundemq; fingit ad Calypso deam delatum, potuisse tranquillam vitam degere sine insultibus fortunæ: sed recusasse eum, ut indicaret virum fortem, & qui

A 3

Iaudis

Iaudis ac gloriæ cupiditate ducitur, nulla pericula,
nulos labores subterfugere solere modò non obscu-
ra sit eius vita, apud homines. Nauigauit in Sicili-
am Plato, quō crateres æthnæ videret, cum apud A-
thenienses capitali lege cautum esset, ne quis græco-
rum eam insulam adiret. Fuit item in Aegypto, ut
ex illius regionis sapientibus perscrutaretur antiqui-
tatem. Nec dubium est, quin omnem illam sapienti-
am inde reportarit, quam reliquit posteris. In eo
autem libro, quem de vniuersitate opinor transtulit
Cicero, ut permulta alia illius viri, sub persona sacer-
dotis Aegyptiaci, grauiter obiurgat Gr̄ecos neglectę
antiquitatis, & appellat παῖδες, uocabulo isto anti-
quitatis, inscitiam exprobrans. Ut enim minime
conuenit viris ætate prouectioribus, infantes eos
appellari: ita ignorare ea, quæ ante gesta sunt, &
quorum nonnulla vestigia adhuc cernuntur, quid
aliud est, quam semper puerum esse, aut infantem?
Fuere, qui ob vnius herbulæ cognitionem, ex Italia
in Lemnum nauigarunt, & qui ex vltimis Hispanijs
in Italiam, tantum ut Liuium viderent. Ita semper
grata fuit magnis ingenijs cognitio antiquitatis &
naturæ, illarumq; rerum, quas natura tanquam mira-
cula quædam produxit, necq; vllis laboribus peperc-
runt, modò perfrui cupiditate illarum possent, Mo-
uerunt certe horum exempla nos, ut ipsi quoq; inue-
stigaremus ea, de quibus & legeramus aliquid antea
apud bonos autores, & audiueramus ex alijs. Sed
non minus incitabant amicorum nostrorum sermo-
nes, eorum qui uel paulò ante ex vrbe erant reuersi,
uel æquè ac nos incredibili studio & amore cogno-
scendarum antiquatum flagrabant.

Et tu

Et tu quidem ante meum in Italiā aduentum ē
Belgica, Insubriā peragraueras solus nī fallor: me-
cum uero vrbem perlustrare voluisti, atq; eam Italīæ
partem uicinam huic, quam magnam Gr̄etiam olim
uocarunt. Itaq; cum otium naſti essemus, & Zephyri
nos vocarent in altum, vt Poētæ uerbis utar: relicto
Patauio, vbi biennium ferè uixeramus, ex urbe Ve-
neta in Metropolim agri Picenī uecti sumus. ea est
(ut scis) portu & mercatura admodum celebris. Inde
per vmbros Perusiam Augustam fecimus iter, vetu-
stam Hetruriæ vrbem, ubi nobis aliquantis per com-
morandum, uel potius respirandum fuit, quod Sol
vicinus stellæ Sirij uehementius vrigeret, Cessanti-
bus deinde Etesijs, æstuq; aliquantulum remittente,
ad urbem contendimus, ex ea paulò post in regnum
Neapolitanum. Erat hoc postremum iter ob id mo-
lestius, quod Hispanos milites socios haberemus,
germanum nullum; nec satis tutum esset, ob prædo-
nes terra mariq; grassantes. Sed tamen duce & au-
tore Deo illud confecimus salui & incolumes, neq;
aliud quid malū experti sumus præter solitas con-
quassationes equorum, per prærupta montium iuga.
Deum immortalem, quām multa illa, atq; varia, quæ
inter itinerandum passim nobis sese obtulerunt?
Vrbes multę ample & preclaræ, templa superba, A-
cademię, Amphiteatra, Circi, Thermæ, aquæductus,
palatia, horti, fontes, Nymphaea, arcus triumphales,
colossi, pyramides, columnæ, statuæ, aliaq; eius ge-
neris infinita, quæ sanè si quis non admiratur, stipi-
tem eum esse oporteret. venerandam enim antiqui-
tatem præ se ferunt, posteritatis magistram, & artifi-
cum suorum summam diligentiam testantur, laude
sempit.

sempiterna dignam. Etsi autem nullibi alias earum rerum tanta copia est, atque Romæ: mihi tamen illa magis placuere, quæ in agro Neapolitano conspeximus. Ut enim alia artificum industria fecit, nature emulatrix: ita hæc natura ipsa magna ex parte. quod fit, ut uetustatem nullam sentiant, neq; ullo tempore prorsus sint peritura. Nec uero minus iucunda sunt, quando illarum causæ cernuntur, exq; manifestæ. Itaq; tum cum nobis commonstrarentur, singulari ex ijs voluptatem percepi, & omnino iudicauit digna, quæ à nobis annotarentur. uel quia rara admodum erant: uel quia recordatio illarum grata nobis aliquando, & iucunda esset futura. Nec me sefellit opinio. Nam ab eo tempore sæpe mihi ijs de rebus cum amicis colloquium fuit: sëpe etiam de his solus apud me cogitauit. Sed eò libentius annotabam singula, quod ex nostris hominibus neminem sciebam, qui ea latinis literis mandasset, preter unum Fabricium, virum (ut scis) doctum, & antiquitatis studiosum, amicum nostrum. Nuper autem illa res legi, quæ me admonuerunt amicitiae nostræ, & fecerunt, ut in ordinem redigerem: ualde enim tumultuariè concœperam. Id cum perfecisset, uisum est mihi, epistolę uice ea ad te perscribere, vel quod putarem gratam tibi fore memoriam peregrinationis nostræ: vel quod cuperem extare aliquod inditium meæ erga te obseruantiaz & amoris. Quare tu pro eo animi candore, proq; ea sapientia, qua præditus es, nostra hæc accipe: à me sanè bono animo profiscuntur.

Prin-

Principio igitur monstrabatur nobis locus ille,
quem uocant, La pescina mirabile. Ingredieba-
mur in molem quandam, statimque pluribus gradibus
descendebamus in aedificium quoddam grande, ob-
longum, quadrangulare, fornicatum & templo simi-
limum. In longum habebat quatuor ordines colum-
narum quadratarum, crassarum, (his namque fornices
& totum opus sustentabatur,) quorum quilibet con-
tinet 12. columnas, ut sint numero 48. diuersae ma-
gnitudinis & formae. Ad primum ordinem descen-
debatur duobus gradibus circum circa continuis, in
duobus autem transuersalibus angulis erant ad eun-
dem modum gradus quibus descendebatur. Fene-
stræ nulle, neque ullum aliquod inditum illarum. Ap-
parebant quidem hinc inde foramina quædam qui-
bus lumen incidebat: sed erant potius rimæ aut rui-
næ ipsius muri, quam arte factæ fenestræ, alioquin
aedificium ipsum integrum propemodum erat. In
quem uero usum extructum olim fuerit, ne diuinare
quidem licuit. opinantur piscinam fuisse, eaque conie-
cta uocant piscinam mirabilem. Ac propemodum
uero simile est fuisse piscinam, tum ex loci ipsius for-
ma, tum ex Plinio, qui scribit, apud Baulos in parte
Baiana piscinam habuisse Hortensium Oratorem
pro murenis, quarum unam ita dilexit, ut ex anima-
tam deflesse crederetur. Blondus Luculli domū fuiss-
se putat. Scribunt item Antonium Drusi murenas
eadem in villa habuisse. Quantu autem piscium ui-
taria in primis murenarum fuerint apud ueteres æ-
stimata, ex probatis. quibusque autoribus coniçere
licet. Quin & hoc conjecturam augebat, quod in
ipso monte seu colle potius, illa adhuc extabant, que

B apud

apud eundem Plinium leguntur, cum ait, ueteres alii
quot ut Lucullum & Hortensium montes excidisse
summis impendijs, quo mare admitterent.

Ex hoc loco egressi, ducti sumus Alle cento cam-
erelle, qui locus ad alterum teli iactum ex opposi-
to huius est, sic dictus, quod nihil aliud praeter came-
ras contineat, unà subinde in alias ducente. situs aut
positus eius in colle, olim ne etiam, uehementer du-
bito. Si paululum in eo descendas, uides ruinas
magni cuiusdam ædificij, & fornicum partim sub dio
existentium, vnde uerisimile fit, olim istud multò lar-
gius integrus & pulchrius fuisse. Descendentes
igitur & ingressi ipsas ruinas tanquam secundo loco
positas, conspeximus ædificium quadrangulare non
admodum altum, crassis quadratis columnis qua-
druplici ordine sustentum, propè quarum unam for-
men quoddam erat, ruina non arte factum, per id
hospes noster, qui idem & dux huius inspectionis e-
rat, se demittebat, & descensuris nobis opitulabatur,
atq; nos excipiebat. Iam verò in transitum quen-
dam statuebamur. Is hinc inde cameras habebat.
Erant autem omnes quadrata forma, aliæ alijs largi-
ores, inde in alias cameras, aliòsue transitus deduce-
bamur, erat enim pluribus transitibus (ut ita dicam)
distinctum ipsum ædificium. erat insuper ita intica-
tum uarijs sibi inuicem similibus cameris, ut non im-
merito quidam putarint Labyrinthum olim fuisse:
in quorum numero est Antonius de Russis Iuriscon-
sult. Calaber. ego tamen eum existimo forma & si-
militudine magis commotum, quam alijs circumstan-
tij. Leander Bononiensis arbitratur cisternam
fuisse, seu locum in quo aqua conseruari solebat apud
ueteres,

ueteres, nos uero nullum argumentum uidimus unde usum illius potuisseus coniscere, nulla cardinū uestigia in camerarum foribus, quas quidem habent humiles & angustas, nusquam fenestræ aut illarum loco aliquid. Intus omnia gypso albicabant, & reperiebatur terra pura passim congesta altitudine se- quicubiti, haud secus ac in antro Sibyllæ Cumanæ de qua paulò post: vespertiliones nulli aut perpauci aderant. Ergo etiam hoc loco relicto, nauim ingressi, præter nauigauimus montem qui vulgo dicitur Canita, iuxta quem in vicino scopulo montem adæquante, ab eo tamen separato, arx quædam magno ingenio extructa est, forma situs rara, ad radicem eius ampla quædam ædificia, sed ob uetusstatem bona ex parte ruinam passa. In his ferunt olim fuisse habitationem Tulliæ.

Appulsi deinde ad littus Baianum, eoque nauis egressi, deambulauimus iuxta frequentiss. ædificiorum ruinas, ueptibus & arboribus obductas, usque ad lacum Auerni. Is uelut in secessu quodam est, collibus potius, quam montibus septus, figuræ circularis, iustæ magnitudinis, in quo nautæ negant fundum reperiri posse. Accepit autem appellationem à grauiis. exhalationum odore, quæ ex illo ascendunt & mirifice nocent auibus. Vnde Verg.

Inde ubi uenere ad fauces graue olentis Auerni,
Tollunt se celeres.

Et paulò post.

Quam super haud ullæ poterant impunè uolantes,
Tendere iter pennis talis fese halitus atris.
Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat,
Vnde locum Graij dixerunt nomine Auernum.

B 2

Ad



Ad colles illius hinc inde sunt ædificia nostri temporis, aut certè paulò superioris satis pulchra, sed propemodum Thermæ. Plinius annotauit prope hunc locum Cimeriorum oppidum fuisse, quorum artificium erat, ut metallæ effoderent in cauernis terræ, neq; vñquam conspiciebantur à Sole teste Homer. ego uero non ausim affirmare ruinas istas, quæ hoc in littore cernuntur, inde restare: tametsi nulli dubium sit, alicuius oppidi fuisse. Sunt etiam Auerno ualde uicinæ. Est igitur ad sinistram harum ruinarum lacus Auerni, & mons qui specum seu antrum quoddam continet Sibyllæ Cumæa, de quo Virgilius in hunc modum,

*Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum,
Vnde ruunt totidem uoces responsa Sibyllæ.*

Et iterum,

*Talibus ex adito dictis Cumæa Sibylla.
Horrendas canit ambages, antroq; remugit,
Obscuris uera inuoluens.*

Descenditur paululum ad radicem montis, deinde tenebricosus ingressus in ipsam specum conspicitur. Itaq; nos funeralibus accensis, quæ attuleramus nobiscum, in eum intrabamus, Mercurium nostrum sequentes. Erat primus aditus seu ingressus satis largus atq; altus, post fiebat aliquantò angustior, tandem rursum se dilatabat, & ducebat nos in directam quandam planitiem, cuius longitudo 6 o. passuum, latitudo 1 o. inde deflectebatur in concamerationes quasdam mirabiles, & superioribus 100. cameris minime similes. ut enim illis erant ampliores, magis item quadratae atq; altiores, ita nec eodem ordine nec

ne nec æquali soli altitudine inter se positæ, alibi ascendendum, alibi descendendum erat, & transitus illarum nunc acclives, nunc declives, parietes obscuri & squalidi ubiqꝫ, vnde locus aliquantulum horridus ac tristis.

Extat autem inter has cameras vna, quam Sibyllam inhabitasse perhibent. ea est quadrata forma, olim Museaco opere vndiqꝫ exornata, instar templi Bachi prope Romam. ac licet tesserulæ ipsæ omnes propemodum exemptæ sint ab his, qui cognoscendrum antiquitatum studio diuersis temporibus istic fuere: tamen adhuc totius ornatus, & emblematum uestigia quædam conspicuntur. quo quidam argumento moti, Sibylle eam tribuunt, tum quia omnium elegantissima, tum verò propter Auerni vicinitatem: vndiqꝫ continua est, vnicō ostiolo patens. E regione ostij habet arcum quendam in ipso muro, haud alia forma, quam si caminus fuisset, qui tamen hoc loco esse non potuit. Ex ea mirus ingressus in quandam quasi aululam quadratam, cuius longitudo passuum circiter 22. latitudo 8. in qua cū esset tanta copia vespertilionum, ut glomeratim summis parietibus adhærerent, & conspecta face nobis molesti esse inciperent, pedem ex ea retrò ferre cogebamur, ac eadem planè uia reuerti qua ingressi eramus. Mirum autem, quantoperè hæ atqꝫ aliæ cameræ inditum perturbant, ut certam aliquam speciem aut idem totius ædificij concipere nemo facile possit. Habant aliquando parietes intermedios superius aperitos, & in nonnullis eodem planè modo terra congesta reperitur, quo in 100. illis. Animaduerti quoqꝫ nostrum in eas ingressum recenter inuentum: esse

B 3 tamen.

tamen alium quendam, præter istum qui olim fuerit
in vsu, uti nullum uidi: ita uix puto. Itaq; omnes
istæ cameræ medio propemodum in monte extructæ
sunt, nec aërem, nec lumen aliquod cœli habentes,
ut ne diuinare quidem liceat quid fuerit, aut in quæ
vsum fabricatum totum hoc ædificium, ne dum certò
affirmare.

Extra montium siue collium septa, quæ Auerni
lacum ambiunt Puteolum uersus, Academia, Ciceron-
is uilla olim fuit, porticu & nemore celebris, quo
sanè in loco thermæ nunc sunt, eiusdem Ciceronis
nomine insignitæ. Cœperunt autem post obitum,
sub Anthisteo quodam, qui in eadem uilla successit:
easq; versibus celebrauit Laurina Ciceronis liber-
tus, in honorem patroni, quemadmodū Plinius scri-
bit. Itali medici uocant, I bagni di Tritoli. Situs
earum ualde est amenus. ad radicem montis domus
ordine collocatae, aliæ alijs elegantiores, pleræq; hu-
miles neglectioresq; & maiori ex parte desertæ:
Mense Maio tamen frequentantur, & ad eas ther-
mas magna multitudo hominum confluit sanitatis
causa, eoq; tempore hospitia publica in eo loco inha-
bitantur, aliâs minime aut certe à paucis. Ferunt
eas saluberrimas esse propter diuersitatem metallo-
rum: puta sulphuris, nitri, salis, bituminis, quo titulo
eas commendat Plinius. ait etiam uapore quasdam
prodesse. Distat ab his thermis Cuma, tribus prope-
modum lapidibus, de qua quidem ciuitate uere dicitur
potest, quod in prouerbio est, Cuma fuit. passim ad-
huc cernuntur ueteres ruine, eas pauci aliquot pisca-
tores inhabitant: cernuntur quoq; monumenta me-
morabilia in eo loco, quem Lo cauallo nominat: est
ibi

ibi arcus satis integer. conspiciuntur & alia, ut tem-
plum Apollinis, de quo Virgilius,

At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo,

Præsidet, horrendæq; procul responsa Sibyllæ. &c.

Liuius testatur urbem hanc à Cumæis Euboiae po-
pulis, & à Calcidensibus constructam. Strabo uero
non tam ab eo saeculo eam commendat, quo extructa
est, uel ab ipsis fundatoribus, quam à monumentis
& antiquitatibus. ait enim sumptu illarum atq; copia
præcelluisse omnibus alijs, & Italæ & Siciliæ ciuita-
tibus. Quo minus falsum iudicari debet id, quod
Blondus scribit, excepta Roma, nullibi in tota Eu-
ropa reperiri tot sumptuosiss. ruinas ædificiorum, at-
que intra Cumam & Baias. Nec uero dubium est,
quin & opulentiss. & populosiss. fuerit olim.
Constat enim ex ea Parthenopen cœpisse, missis in
hanc ciuibus tanquam in Coloniam quandam. Cum
autem uiderent indies adaugeri opes & fortunam
illius, mutato consilio euerterunt eam. hoc facto,
grauis pestis Cumanum agrum inuasit: cuius cum
neq; finis ullus esset, neq; illi remedium aliquod in-
uenirent, quo malum istud tollerent, oraculum pe-
tunt: eo responsum illis fuit, causam pestis esse Par-
thenopen, nec prius desitaram, nisi eam urbem re-
ædificassent, & restituissent in pristinum statu. quod
cum fecissent, pestis desist, Ipsa uero ciuitas, vt scri-
bunt, postea populari seditione, bello, ac terræmotis
bus uexata, exhausta uiribus, & labore senioq; con-
fecta, quasi obiit mater, relicta post se filia Parthe-
nope seu Neapolí, quæ uerè hodiè uiuit. Iam uero
ad Baianum portum reuertebamur, prope quem na-
uim nostram reliqueramus, Puteolum nauigaturi,

cum



cum inter nauigandum sese nobis offerunt in littore
montes præalti, & ad radices illorum continuè adi-
fiorum ruinæ, ex quibus facile erat coniçere ele-
gans olim atq; amplum oppidum eo in loco fuisse.
disiectum autem frequentibus terræ motibus, & ab
incolis desertum. Apparebat enim expressa figura,
deuastatæ collapsæq; vrbis, iamq; arbustis ac vepri-
bus frondescenis: nonnulli tamen in ijs edificijs que
integriora sunt, habitabant, omnis generis nauigia
reficientes, quod portus ibi esset satis tutus. Hæc
cum uiderem, uenit mihi in mentem eius, quod ali-
cubi Seruius Sulpitius ad Ciceronem scribit, cum
ex Asia rediens, ab AEGINA Megaram versus nauigaret, vndiq;, (ut ait) cadaueribus oppidorum sep-
tus. Erant ante nos uestigia illius ciuitatis, de qua
modò dicebam: à tergo Cumæ: ad alterum latus
Baiae: nec admodum longè aberant Puteoli, quæ
oppida cùm quodam tempore florentissima fuissent,
nunc prostrata, & diruta iacent ante oculos. Itaq;
admirabar conditionem ac fortunam rerum huma-
narum, non hominum solùm: & cogitabam quid ali-
quando de nostris regionibus futurum esset, quæ vt
neq; ita excultæ sunt, neq; tantis opibus refertæ, ne-
que fama ita celebres, vt istæ olim: eò facilius eas
posse collabi atq; interire. Memineram etiam illius,
quod apud Batanos antea, tum in occeano Germanico ad Salandiæ insulas videram, pagos quamplu-
rimos, atq; oppida nonnulla submersa, quorum tem-
pla, turres, & æditiora loca passim se è mari attol-
lerent, tanquam speculæ quædam, euïdens argumen-
tum, ut opinor, quàm nihil stabile & perpetuum sit
in uita.

Con-

Conspectis hisce ruinis, continuum montium
tractum, qui in eodem littore est sequentes, ad eum
montem peruenimus, in quo sunt thermæ. Is cum
intus haud dubie uehementer ardeat, foris tamen e-
ius rei nihil præ se fert. Ingrediebamur in ipso pri-
mum amplam quandam ac præaltā cameram, cuius
parietes & fornix antiquo, uermiculatoꝝ opere fue-
rant ornatae, eiusꝝ ornatus hinc inde uestigia quæ-
dam apparebant, quamuis exigua. aditus in eam e-
rat amplius, & ad utrumꝝ parietem aliquot lectister-
nia murata, quibus lecti imponi possent, ut in ijs
qui lauissent, requiescerent, ualde lata. Ad princi-
pium porrò ingressus duo labra quadrata, in quibus,
infusa in ijs aqua, lauaretur: è regione ingressus, bal-
neum, seu aqua calida egregie temperata, duos pedes
profunda, nullius graui odoris, nihil habens sulphu-
ris, nitrosa tamen & aluminosa. Est eo in loco spe-
cus patulus ac lucidus, ex quo profluit ipsa aqua, aut
erumpit, tam commodè excavatus, ut plures simul in
eo sedere, & lauare possint, sed quanto quis profun-
dius in eam ingreditur, tanto est feruentior. Ferunt
& hæc balnea saluberrima esse: amænissimæ certè
sunt ac grata, propter vndas uicini maris, à quibus
murmura excitantur & susurri. Extra hanc came-
ram ad sinistram scale, plus minus 2 o. graduum, per
quas flexuose ascenditur ad ipsum sudatorium, sic
enim vulgari lingua uocant. In illud aditus patet
antri instar satis altus, non tamen latus, lumen cœli
passim per foramina excipit, ut sine face recto tra-
mite aliquantulum progredi in eo possit. Inde bi-
uium est seu duplex uia, quarum altera quæ ad fini-
stram, multa lectisternia murata continet, quorum

C idem

idem usus cū superioribus. Producitur autē, totaçp in latere montis, & in præruptam quandam eius partē definit: altera ad uiscera montis dicit, estq; uero simile, in ardentiss. ipsius cauernis eam desinere. Nos accenso iterum funalī in ea tātum progrediebamur, quantum præ calore licebat: & quidem initio humidum quendam uaporem sensimus, deinde paululum progressi, calorem sumus experti, qui cum superiora peteret, caput mirè offendebat, eoq; magis, quò longius progrederemur, ut non modò necessarium esset caput demittere, uerum humi quoq; repere. tandem, cum & sudore propemodum difflueremus, (quantumuis in superiori parte corporis omnibus uestibus exuti,) & præ nimio calore funale liqueficeret, pedem retrōferre cogebamur. Quare eadem uia reuersi, qua ingressi eramus, in inferioribus montis balneis nos abluiimus.

Porrò intra hunc locum, & Puteolos, duo uidimus omnino digna quæ annotarentur. Alterum erat fons marinus, alterum uia Atellana, ut uocant. Profilit è mari uiua ac limpidiſſima quædam aqua, sapore dulcis, altitudine duorum pedum, magnitudine capitis humani. Eius causam existimo occultos quosdam subterraneos meatus, qui è uicino littore aquam illam deducunt, & transportant in eum locū, ubi erumpit. Idem censem Leander Bononiensis per doctus monachus, & quo nemo diligentius, uel exquisitus Italiam descripsit, meo quidem iudicio. Fieri tamen potest, quod olim quando locus iste erat continens, ab inhabitatoribus ex alio quodam æditiore loco, per canales pulueris Puteolani aqua uiua fuerit in eum deducta, eaçp ipsi uiri fontis uicerent.

uterentur, postea uero uicinum mare eruperit, occu-
paueritq; totum locum: vnde etiamnum hodie ipse
fons supersit. Ei scit autem aquam in tanta copia, ut
eandem currentem longissimo tractu conspicere-
mus, sciunctam omnino ab aqua marina, est enim
multo limpidor. Verum postremum hoc, prius
uideram in Selandia, prope Dordracum Holandiæ
oppidum, ubi Mosa (ni fallor) eodem plane impetu
fertur in mare, illudq; quasi scindit aut diuidit, lati-
tudine ferè trium perticarum. Plinius scribit in
Baianis calidam alicubi euaporare, de quo ego nihil
compertum habeo.

De uia Attellana annotandum putabam,
quod illa ab utracc; parte plena sit collapsarum taber-
nularum, quarum forma partim quadrata est, partim
rotunda. Sunt in ijs antra concamerata seu testudi-
nes, in quibus ad parictem loculi & urnæ: unde fa-
cile coniscere licet huiuscmodi ædificia olim sepul-
turæ fuisse destinata, quamuis accolæ in eum usum
fabricata putant, ut in ijs res promercales haberentur,
eaq; opinione uulgari lingua uocant, Mercato
di Sabato. Certum enim est demortuorum corpora
apud ueteres primum cremari consueuisse: deinde
recondi in urnas. Illud mirum, quod quidam ex so-
cijs nostris (cuius quidem impudentiæ potes memi-
nisce, qua de causa eum non nomino) ex una qua-
dam extrahebat partem cranei capitis humani, mire
spissitudinis, quæ sanè inditum præbebat hisce lo-
culis non modò cineres, uerum ossa quoq; cadauerū
aliquando deposita, ubi ipsa caro à Sarcophagis con-
sumpta esset. Erat primo contactu satis dura, postea
cum nonnihil extra ædificium processisset, (credo

C 2 quod

quòd aërem sentiret,) paulatim mollescebat, mox in puluerem resoluebatur. Sed relinquamus mortuos, nec ossibus inferamus bellum.

Antequam Puteolos perueniremus, in eos incidimus, qui alumnen conficiunt. Utuntur autem hoc ferè modo. ex uicinis collibus excisso lapillo in fornice coquunt, quibus coaceruatīs, per aliquot dies suffundunt aquam ē certis fontibus haustam, vnde macerantur instar calcis, & in cineres resoluuntur. Porrò ex his cineribus conficiunt lixiuū, quod conseruant in uasis ligneis. Illud deinde ad extremū uasis ita paulatim coagulatur, ut naturalis quædam glacies uideatur esse, uel crystallus. Itaq; certo quodam instrumento aut ferro eximunt, & reseruant ad usum. Iste ē uia digressus, iuxta lacum iterum conspicuntur aliquot thermæ humiles & angustæ, omnes sulphurei odoris, ab ipso lacu dicti, I bagni d' Agnano. eas mirificè commendant propter salubritatem, ac ferunt pregem Neapolitanum, aliosq; proceres illius regni, noto uere, quotannis eas frequentre, sudandi causa. Descenditur autem in eas 5. aut 6. gradibus in subtabulatum quoddam, (si ita licet dicere,) in quo maximus est calor. Prope has in eodem littore, & in ipsam collibus, ille locus est, quem uulgari lingua appellant, La grotta del can, nos antrum caminum uertimus: Specus plenus latalis aëris, ut nullū animantium genus in eo uiuere possit: Eius altitudo est pedum 8. aut 9, latitudo circiter 6. nec in ipsam collem ultra quatuor passus protenditur, ac in fine paulatim descendit. Exhalat calidum quendam humidumq; spiritum, id quod uel brachio immisso deprehendere licet. Accepit autē

ex eo

ex eo nomen, quod hospites & adueni experimenti
causa, ut plurimum canem aliquem in eum intrudere
soleant, quem deinde semimortuum extrahunt: qd
idem nos quoq; fecimus, & quanquam uix spiritum
aliquem uitalem habeat, tamen si eum sumpta ex
proximo lacu aqua suffundas, paulatim reuiviscit,
seç; recolligit. Nos præter canem ranas maiuscu-
las iniçiebamus, quæ quoniam non statim resilie-
bant, expirabant in ipso specu. Plinius ait in Sue-
fano Puteolanoq; agro, esse specus, quos spiracula
uocant, alij Charoneas scobes, mortiferum sp̄iritum
exhalantes, quorum hic unus esse potest. Redeun-
tes in uiam, ad dextram, circularem omnino plani-
tiem conspeximus, collibus exiguis circumdatam,
ijs nimirum, è quibus materia illa aluminosa excin-
ditur, ut paulò ante aiebam, & in quorum altera par-
te antrum caninum est, ea tota sulphure flauescit,
lacum quoq; continet, sed non magnum, neq; parem
huic, qui est iuxtra idem antrum caninum, soli ma-
teria ex mero sulphure constat, quæ accensa passim
ebullit: vnde Strabo eum locum Vulcani forum ap-
pellauit, alij campum flegri nominarunt. Prope la-
cum cernuntur aliquot tuguriola seu casæ, frondi-
bus extructæ, ac iuxta eas fornices, in quibus coqui-
tur sulphur. Inde ad lacunas illas progressi, (uix
enim merentur nomen lacus,) uidimus eas densissi-
mum fumum euaporare, atq; aquam feruentissimam
miro æstu eiaculari, & in altum voluere. Fama est,
nec à uero dissentit, si in eas animal aliquod proïci-
as, & deinde parua interposita mora rursum extra-
has, præter ossa nihil reperiri. Ferunt etiam de ouis
nescio quid. Lacus circum istas lacunas paruis cru-

C 3 cibus

cibus refertus est : eas in extrema ora posuere quasi metas quasdam, illi qui audaculi sibi ipsi uisi sunt. Quocunq; incedas, percipis auditu subterraneam quandam concavitatem: vnde lapides desuper projecti subsiliunt, tanquam super glaciem, & sonum quendam excitant. Est enim leuis & arida superficies, nec in ea ubi uis expatiari licet. Scio Plinium, naturalis historie scriptorem, hoc nomine multis suspectum, quasi Gr̄ecorum more, uera falsis immiscuerit: At nos ista quae scribimus, uidimus, quō magis illi fidem possumus adhibere, cum de his & similibus rebus loquitur. & omnino uerum est quod ille alicubi pr̄eclarè dicit: diffusam per omnia naturam, subinde aliter atq; aliter tanquam numen quoddam erumpere.

Ex hac ingenti, profundāue planicie, ubi rursum in collem te recipis, uides in radice amēniss. locum & prospectum, atq; Puteolos iuxta littus maris. vi- des item aliquot insulas, & è regione totum portum Baianum. Scribunt Puteolos à fontibus dictos, qd illorū olim magna copia ibi esset. Pozzo enim uulgari ligna fons est, uel à grauitate odoris, seu à foetore, qui è uicinis mineris sulphuris & aluminiis euaporat. antiqui scriptores Dicearchium appellant. Etsi autem aliqui contenderunt de situ ipsius, & pu- tarint eo in loco olim fuisse, ubi nunc sunt ruinæ. Nimirum ad radicem collis, aut paulo remotius: de- scriptio tamen autorum, illorum errorum conuincit, & uerius est in colle fuisse, hoc est, idem plane oppidum, & in eodem loco, in quo etiamnum hodiè ex- tat. quamquam fieri potest, quod ruinæ istæ aliquan- do fuerint, aut pars ipsius, aut suburbia, aut etiā loca subur-

suburbio uicina. In ipso oppido nihil propemodum
visu dignum, præter templum, quod antiquiss. est, at-
que ita fabricatum, ut facile agnoscas æthnicum fuisse,
habet etiam inscriptionem suorum architectorū,
& illius cuius in honorem extructum fuit. Cernuntur
& ossa quædam prægrandia humani corporis, ijs
Pomponius, Lætus Romanus, & antiquitatis Ro-
manæ inuestigator, hanc inscriptionem fecit.

Huc quicunq; uenis stupefactus ad ossa Gigantum,
Disce cur Hetrusco sint tumulata solo.

Tempore, quo domitis iam uictor agebat Iberis
Alcides, captum longa per arua pecus.

Colle Dicarchæo clauaq; arcuq; Typhones
Expulit, & cessit noxia turba Deo.

Hydruntumq; petijt pars altera, & altera Thuscos,
Interijt uictus terror uterq; loco.

Hinc bona posteritas immania corpora seruat:
Et talcs mundo testificatur auos.

Ciues huius oppidi, ut plurimum sunt pescatores, ij
haud exiguum quæstum faciunt ex hospitibus, qui
eō ueniunt, perlustrandarum antiquitatum causa.
Locant enim ad eam rem suas operas, ac monstrant
antiquitates in vniuerso illo tractu maris. Extra Pu-
teolos sunt monasteria nonnulla, & palatia nobiliū
satis elegantia: videntur & uestigia antiquiss. ædi-
fiorum Romanorum. certumq; est vrbis Romæ
proceres delicias suas hisce in locis ac uicinis olim
habuisse, tam ex epistolis Ciceronis, tam ex Po-
libio Dionysio Halicarnassæo & Liuio. In horto
Franciscanorum terminus est. apparent etiam pro-
pe ipsum oppidum fornices & concamerationes ali-
quot, eas nonnulli putant thermas fuisse. Dùm ad
mona-

monasterium ascendis, tres sunt insignes columnæ, descendendo autem ex eo ab altera parte, ad Colossum siue Amphiteatrum peruenitur, admodum amplum, forma ovali: foris Romano illo corruptus, sed intus multò integrius, nam & sedilia habet, quamvis plerisque in locis terra arbustisque obruta. est & murorum abitus integer, & ualde in altum attollitur. ego hoc Amphiteatrum unum esse existimo ex præcipuis Romanæ antiquitatis, quæ quidem hodie adhuc extant. Non procul ab eo, posatum est aliud quoddam ædificium concameratum, mira arte exstructum, ac multis cameris distinctum, vna subinde in alias deducente. quin etiam quælibet camera quatuor habet portas, per quas in coniunctas aut uicinas cameras itur. vnde suspicor Labyrinthum fuisse. Italis uocatur, Le Camerelle. Cernuntur & in Puteolano sinu, ingentes pilæ, pontis cuiusdam maximi ac robustiss, ex littore Puteolano in oppositum litus constructi, Galliculæ Imperatoris opus, ut Suetonius scribit, Item è regione Puteolis apparent insula Crapæ, in quam se recepit Tyberius Cæsar, cum solitudinem quæreret & fugeret conspectum plebis. Illud nequaquam dissimulandum, quod in eo loco agrí Puteolani, quem Tripergulam appellant, & iuxta quem Academiam Ciceronis uillam supra esse dixi: ante paucos annos, nimirū anno Christi 1538. mons quidam eruperit, adhuc conspicuus, & in ambitu circiter 400. passuum continens. Præcesserunt eum per aliquot dies continuu terræmotus, & incendia, materiæ sulphureæ ac aluminoſe, illiusque liquoris, quem vulgo oleum petræ uocant. postea ex crescente igne in iustum flammarum, & materia aliqua quantu-

quantulum consumpta, secutæ sunt ejaculations ci-
nerum, & lapidum, uenti importuniss. tantaqz con-
fusio, ut machina mundi putaretur corruitura, quæ
omnia diligentissimè annotauit Leander Bononi-
ensis, & ante eum Salernitanus quidam lingua Ita-
lica, eius tragœdiæ spectator. Scripsit quoqz Simon
Portius ea de re libellum, cui titulum fecit, de incen-
dio agri Puteolani. Nunc ad urbem Neapolita-
nam accedamus.

Profecturis igitur Neapolim ex agro Puteola-
no, ultimo lapide, ut opinor, ab urbe Neapolitana,
transfundus est mons, Pausilipus à Plinio dictus. Is
excauatus omnino, estqz per eum planus ac directus
in inferiore parte transitus, longitudinis mediæ mi-
liaris Italici, aut paulo maioris: latitudinis tantæ, ut
duo currus mercibus onusti commodè unà pertran-
sire possint: altitudinis imparis, sub utrumqz enim
ingressum (qui formam portarum habent) ita patet,
ut aliquis equo insidens erecta hasta, in eum ingre-
diatur, nec attingat summitatem, Intus uero non-
nihil comminuitur altitudo, non enim excedit statu-
ram trium hominum. Est autem summa industria
excissus, lateribus utrimqz planis & æqualibus, in
alto fornicatim coeuntibus. Vtraqz parte superius
foramen habet, per quod lumen incidit, in medio
nihil lucis sed obscurus. Quapropter moris est, cum
duo simul plurésue, uel equis, uel curru eo in loco,
hoc est, sub medium montis, sibi inuicem ueniunt
obuiam: ut clamitent alla montagna, uel alla mari-
na, montem uel mare uersus. nimirum ut quisqz illo-
rum sciat, in quod nam latus, aut in quam partem mon-
tis se recipere debeat. Sed est ibi mira copia pul-

D ueris

ueris terreni, tam hiberno tempore, quam aestate.
Vulgo persuasum est, si quis in hoc specu aliquem
iugulet, eum nullo modo egredi posse, idque usu com-
pertum aiunt. In medio fere ad parietem conspicitur
imago Christi crucifixi. Sub egressum facellum
quoddam, in quo diua uirgo colitur, & miraculis cla-
ret: vnde paulatim incipit colligere donaria, & ta-
bulas uotiuas, est enim adhuc recens & iuuenis.
Extat & aliud eiusdem tituli, si benè memini, olim re-
ligione celebre, iuxta quod per gradus in montem
incisos ascendebatur. verum cum multæ matronæ,
non virginem diuam, sed magis Venerem colerent,
(inde enim in arbusta montis deflectebant,) inferio-
ribus gradibus resciisis, ascensum prohibuerunt.
Iuxta prius facellum sepulchrum Virgilij Maronis a
quibusdam monstratur: alij putant in hortis mona-
sterij, qui sunt supra ipsum montem extare, cum hac
inscriptione,

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini pascua, rura, duces.

Qui versus sunt noti: & sanè fieri potuit eo in loco
Virgilium sepultum, nam facellum ipsum adhuc ad-
est, sed uersus deleti: ut hinc inde vix aliquam lite-
ram agnoscas: monumentum uero nullum conspicitur,
unde certò coniçere possis ueritatem. Monachi
illius monasterij dicunt, olim in hoc facello supra se-
pulchrum statuam fuisse, sublatam autem astu quo-
dam Mantuanorum, eamque hodie adhuc Mantuae
conseruari. Vidi quidem Mantuae statuam quan-
dam uetustissimam, cui prædicti uersus inscripti e-
rant, uerum unde illa eō translata sit, ignoratur: &
præter

præter coniecturas nihil intellexi. Scribunt pari modo Ennio Poëtæ à Scipionibus olim statuam positam.

Transgesso monte Pausilippo, Neapolis conspicitur: regia urbs, & illius regni Metropolis. Hęc initio Parthenope dicta, cum à Cumanis extruatur, quemadmodum supra dicebam, Vnde uersus apud Sillium Italicum.

*Sirenum dedit una tuum memorabile nomen
Parthenope muris Acheloias, æquore cuius
Regnauere diu cantus, cum dulce per undas,
Exitium miseris caneret non prospera nautis.*

Protenduntur autem à monte ad eam usq; prædia suburbana nobilium, quorum horti longè elegantissimi sunt. Primum enim aqua abundant, eo studio & industria concepta, ut non raro etiam ex arboribus profiliat. Deinde passim cernuntur labra & uasa marmorea, in quæ influit in ijs uero aliquando Neptunus limpidißimam aquam, uelut undas maris, tridente percutiens, nauigat: aliquando Neides aut Eolus. Adsunt & Fauni, & Satiri ex conchis marinis confecti, ea industria, ut sculpti atq; picti magis uideantur, quam compositi ex tesserulis. ita omnino referunt natuum colorem. Nec desunt Labyrinthi, in quibus aqua per uarios amfractus mirè deducitur, nunc hāc, nunc illāc. Fontes in ijs ad modum specus sunt constructi, ex certis lapidibus à falsagine aquæ marinæ exesis, vnde alia illa, quæ retrò ipsum fontem, artificio quodam hinc inde ducitur, per eos paulatim distillet. Res mira & aspectu pergrata. Habent enim lapides colorem quendam niuis aut glaciei: tūm uero ornātur alijs rebus. puta

D 2 uermi-

uermiculis ex conchis fabrefactis, gorgonia marga-
ritiferis, Itemq; herbis quarum semina inter lapides
sparsa, a quo humore nutriuntur atq; pullulant. De-
riuatur autem ipsa aqua exinde in hortos per cana-
les quosdam ad latera pavimenti (quod ferè marmo-
reum est, aut ex tesserulis constructum,) sed nihil
lædit pavimentum. Sunt quoq; ipsi canales ampli
& aperti, & tam pisciculis inseruiunt quam refrige-
rando potui. Iuxta fontes plerunq; auiaria, in ea
ex canalibus artificiose proflit aqua, quam commo-
dissime excipiunt auiculæ. Continent autem pul-
cherimasquasq; aues, peregrinas ac sonoras. Inde
deambulatoria loca, in quibus topiaria, naues, ædi-
ficia, centauros, aliaq; genera animalium repræsen-
tantia. Extra hæc diuersæ herbæ, aliquando in mo-
dum Labyrinthi compositæ, Laureta, Cupresseta,
Vineæ, Non rarò Labyrinthi ex Buxo, Hedera,
& Myrto. Palmæ insuper, quarum fructus sunt dac-
tyli, aliæq; arbores, inusitatæ. Deniq; (ut de statuïs
& monumentis nihil dicam) ea copia selectissimo-
rum fructuum atq; herbarum, is odor est, ea uoluptas,
ut ne in Hesperidum quidem hortis illa maior aut
gratior esse potuerit. Ergo ab illo templo, de quo
paulò ante aiebam, prædia & horti nobilium ad ip-
sam urbem Neapolim usq; protenduntur. Ea posita
est ad sinum maris Thyrreni, forma triquetra, duo-
bus angulis mare respiciens, tertio montes: qui nō
ita magno interuallo distant. Nec uero plana omni
ex parte, sed paulatim assurgentibus edificijs (acclive
enim est ipsum solum) quasi bifida. Inferior pars fre-
quenter inhabitatur à mercatoribus & à uulgo: Su-
perior à nobilibus: quo sit ut in ea parte reperiantur
pulcher-

pulcherrima palatia inter quæ potissima sunt, Palatiūm principis Salernitani, domini Vrsini, principis Sulmonis, Item Thomæ Cambij, multis statuis foris & intus ornatum, supra portam Leona conspicitur, cum hac inscriptione, Ioui Xenio. Illud inter pulcherrimas illius urbis dotes connumerandum arbitror, quod singulæ propemodum domus fontes habent salientes copiosa saluberrimaq; aqua : nec est alia ciuitas (quantum ad aquarum copiam attinet) quæ cun hac conferri possit in uniuersa Italia.

Plateas habet bona ex parte strictas & angustas: exceptis tribus, quæ ut satis latæ sunt, ita quoq; miræ longitudinis. Superior uocatur La uicaria, altera Capuana, tertia ē regione arcis ad forum usq; protenditur. Capuana ducit Capuam: quæ ciuitas in iure nostro ualde celebris est, precipue in materia contractuum: nam & primum Prætorem peregrinum habuit, & quondam floruit mercatura, unde solutio-nes in eam ferè concipiebantur, aut Romam, aut Bithiniam, Asiæ urbem. In porta huius plateæ, monu-menta quædam conspiciuntur, tum extructa, cùm per eam Carolus v. Rom. Imp. & Neapolis Rex, primus mortalium ingrederetur. in perpetuam rei memoriam, id quod Antuuerpienses in Belgica paulò post imitati sunt. Ante portam Ocæanus & Thetis erat, deinde per plateam commodis locis Hercules, Athias, Perpetuitas, Religio, aliaq; multa quæ comme-morantur in triumpho Neapolitano. Distat autem à Neapoli Capua lapidibus 18. Forum Neapolita-num quadratum est, ualde spatiosum: non tamen stratum lapidibus. In circuitu medio furca aliudq; tabula-tum, ijs constructum qui capite plectendi sunt. est

D 3

in



in eo facellum, è cuius regione fons, labrum habens
capacissimum. Ad forum diuersoria permulta sed
uulgaria, & sane est Neapolis maximus defectus a-
mēnorum & mundorum hospitiorum, licet adsint ali
oquin popinæ infinitæ.

Templa quemadmodum pulcherrima: ita non
admodum multa è quibus cathedralē ut uocant S.
Claræ, nescio an aliud etiam quod est S. Loio dica-
tum, prorsus tenebrosum. Omnium ornatissimum est
S. Mariæ prædicatorum. nam & in amēnissimo pre-
altoq; urbis loco positum, & intus ferè totum marmo-
reum incrustatumq;: sed tamen angustum. Frequen-
tatur religione templum S. Mariæ di Carbona, mo-
nasterium non procul à foro. Id continet ingentem
copiam tabularum uotinarum, & duo facella marmo-
rea ad aram. In ipsa uero ara tumba est, in qua cada-
uer Roberti regis Neapolitani & coniugis illius:
admodum pomposa & elaborata. ferunt ea nullam
magnificentiorem reperiri in uniuersa Europa. Ego
uero si non superiorem certè parem huic esse puto,
illam quæ Guilelmi Croij ducis Arschotensis eiusq;
coniugis corpus habet, in Belgica prope Louanium
ad arcem Hefriam. Sane primas obtinet inter mar-
morea sepulchra, quæ quidem ego uidi uel in Italia,
uel Germania, uel in Gallijs, uel etiam in Anglia:
nam in Hispanijs non fui. Sed inter ea quæ in hisce
regionibus aut ex metallo sunt conflata aut ex ære
siue auricalco: meo iuditio cæteris omnibus præstat
Henrici vij. Anglorum regis apud VVestmonaste-
rium ut uocant in ciuitate Londinarum, cum hac
inscriptione.

Septi-

Septimus hic situs est Henricus, gloria Regum
Cunctorum, ipsius qui tempestate fuerunt.

Ingenio atq; opibus gestarum & nomine rerum.

Accessere quibus naturae dona benignae

Frontis honor, facies Augusta, heroiciforma.

Iuncta q; ei suavis coniunx per pulchra pudica

Et fæcunda fuit, felices prole parentes.

Henricum quibus octauum terra Anglia debes.

Tota tumba deaurata est uulgatioribus gemmis un-
diq; coruscans, habet & τορεύματα permulta. Ad eam
proximè accedunt monumenta Regum Galliarum
apud Fanum Dionisi.

Sunt præterea Neapolí quatuor sōci ni fallor,
siue loca quadrata circum circa sessiones habentia
qualis ille est quem Antuuerpię Bursam uocat: Ve-
netijs La piazza del Rio alto. In his statis temporib.
anni habetur (nescio quibus de causis) publicus tra-
ctatus aut conuentus. Conueniunt etiam in ijs mer-
catores singulis diebus contractuum celebrando-
rum gratia.

Arces tres habet quarum duæ ad mare: nimirum
uetus ac noua: tertia in altissimo monte ciuitati in-
cumbente. unde propter naturam uel situm loci ita
munita est, ut quicunq; eam teneat facile possit urbi
imperare, quantumuis ab hostibus occupatae. Est pau-
lo infra illam, monasterium Carthusianorum, templū
habens Diuo Martino dicatum: è quo amenissimus
prospectus tum in urbem, tum in ipsum mare. In arce
ueteri quæ ad uiam Capuanam posita, antiquissima
ædificia & picturæ cernuntur. est & in ea armamen-
tariū in quo inter cætera conspicitur πανοπλία Fran-
cisci Regis Galliarum, qua indutus apud Ticinum
urbem

urbem capiebatur. elegantissima quidem, & ex optimo ferro fabricata, sine ullo tamen ornatu auri. Thorax mire grauis est. Ex arce transitus ad hortos amplissimos: In ipsa uero arce hortus pensilis: sed is præter amenum prospectum nihil habet.

Arx noua in ipso urbis ingressu sita est forma quadrangulari, ex lapide Tiburtino constructa. in eo loco olim fuit monasterium prædicatorum, q[uod] deinde in alium translatum in quo hodie positum. Cingitur autem ex ea parte qua urbem respicit profundissima fossa: & est quasi conduplicata. nam ingressus ipsam, tandem ueram arcem uides, quæ similiter fossa, mænibus, turribusq[ue] munita est, basis illius in alto loco situatur & per cliuum insuper ad eam ascenditur. Porta interior longè pulcherrima ex marmore, inde peruenit in aream uralde spatiösam, quadratam, oblongam. Ad sinistram ingressus in amoenissimam quandam aulam ascenditur, in qua quotannis conuentus regni celebratur. In ea quoq[ue] ipse Rex, uel is qui uicem illius gerit, singulis septimanis bis supplicationes & querelas suscipit, iudiciumq[ue] exercet. Iuxta hanc turris est in qua à magnifico uiro Ioanne de curta uille Flandro, qui nunc tertium illud castrum quod in monte est, inhabitat, conseruata fuere haec: Sceptrum aureum in superiore parte margaritis pregrandibus ornatum: Ensis habens capulum & uaginam auream gemmis ornatisimam: corona gemmis incredibilis magnitudinis rutilans: Pomum cæsareum uetustum: Pallium seu cappa Imperialis, cuius phlaëteria gemmis planè referta: Crux aurea longitudinis vnius palmæ: Poculum magnum gemmis undiq[ue] ornatum magni pretij.

prætij. Item margaritæ seu iunctio[n]es prægrandes, ac pre-
cipua genera gemmarum in maxima quantitate, breui-
ter thesaurus qui uix æstimationem recipiat. Qui uide-
runt, affirmant imperij Romani ornamenta esse: Verū
nos uti ea non uidimus ita ne affirmare quidem possu-
mus, Imperij ne sint an regni Neapolitanī.

Mirum autem quanta copia antiquarum statuarum
conspiciatnr in urbe Neapolitana, etiam in priuatis æ-
dibus. puta Bachi, Mercurij, Herculis, Bruti, & totius
ueteris habitus militaris. Adsunt & statuę togatæ. Ma-
ximum equi caput æneum, magno artificio conflatum,
non secus ac Romæ in palatio Cardinalis de valle. Sed
de his omnibus diligentiss. scripsit Cyriacus Anconi-
tanus, cuius est bona pars illius libri quem Petrus Apia-
nus & Bartholomeus Amantius in hac materia ædide-
runt.

Fundauit in hac Vrbe Academiam Fredericus 2.
Imperator quæ etiamnum hodie floret. Nobis ibi com-
morantibus moriebatur Simon Portius, insignis Philo-
sophus ac medicus, nam & præter eum libellum quem
de incendio agri Puteolani ædidiit, ut superius admone-
bam: scripsit de anima, de sensibus, de coloribus, de
puella Germanica, aliaq[ue] plura. Clarebat inter Iuris
Consul. Marcellus quidam, Senensis, uir cum primis
doctus & facundus. Theologia uero in monasteria
erat elegata, ut in tota Italia ferè. Neapolis hyemem
uix duobus mensibus sentit, puta mense Ianuario & Fe-
bruario. Frequentes habet pluuias sine niue: contra
æstate feruentiss. æstum, cuius gratia rara ibi sunt ædiū
tecta, ut sub noctem deambulare super ædificijs possis,
totamq[ue] urbe[m] simul ac mare contemplari. Vocant eam
uulgar[i] lingua gentilem, hoc est, nobilem cum propter
multitudinem nobilium, qui in ea habitant, tum uero

E propter

propter luxum. nec alibi ullo in loco reperire licet tantam copiam generosiss. & ornatiss. equorum atque ibi. Sed si inde extra regnum equum indigenum ducas, decumam soluas oportet. Venduntur autem in ea non tantum equi aut aliæ merces, uerum etiam mancipia utriusque sexus & ætatis. Sicarios habet ualde multos. Audiunt male Neapolitani non tam quod natura mali sint, quam quod uicinos habeant malos. ïn uero sunt Apuli, Calabri & Siculi, de quibus uerè dici potest id quod Cicero de ijs scripsit: Omnes insulani mali, Siculi omnium pessimi. Atq; hæc quidem de ipsa urbe.

Extra urbem ex altera parte, cernuntur putei Regales uulgo dicti, Pozzo reale: pulcherrimi sane. Est eiusdem generis locus Romæ & Ferrariæ, ill bell veder, hoc est, locus æstiuus, ædificiorum, hortorum, riuulorū, prospectus situsq; amænitate elegantissimus. In eo palatium extruxit Ferrandus Arragonensis primus Neapolitani Rex, forma quadrata, oblonga, in cuius parietibus antiquissimæ picture. Media area sub cœlo ad lauandi usum destinata. descenditur autem per eam tribus gradibus, & intromittitur aqua pro libito. Porticus ornataissima circundatur: uerum in postrema obsidione Vrbis Neapolitanæ, Galli non hanc solummodo porticum sed totum ferè hoc ædificium corruperunt. Non autem dubium est, cum adhuc esset integrum hoc lauacro nullum aut magnificenter, aut amènius fuisse in Italia.

E regione huius palati est aliud quoddam, ubi locus è quo deriuantur aquæductus in urbem. Inde descenditur in hortos, in quibus iterum porticus, & è regione lacus admodum amplius: neglectus tamen iamq; arundinibus repletus. Hinc deflectitur in alios atq; alios hortos: tandem peruenitur ad fontem aquæductuum amèniissimum & limpidissimum.

Fuere

Fuere ibi aliquando cellulæ aut caueæ, quibus uaria genera aurum erant inclusa: sed & illæ à Gallis confra-ctæ. Ex hoc loco per ædificia, quæ olim erant familiæ destinata, reuertitur ad primum: ubi fonticuli & blan-
dissima præterlabentium aquarum murmura, siluulæ,
fructuumq; gratissimus aspectus. Conspiciuntur non
procul vestigia Vrbis Paleopolis, cuius Liuius facit
mentionem. Est & alius locus ameniss. propè Neapo-
lim quarto aut quinto lapide ab urbe, ad pedem Vesuuij
montis in cuius summitate Plinius naturalis historiæ
scriptor, & classis Augusti Cesaris præfectus, inter cine-
res perijt, quemadmodum testatur Plinius Iunior: cum
paulò antè idem mons arsisset ad modum æthne in Sici-
lia. Crescit autem in pede huius montis vīnum græcum
sive Pompeianum ut uocant optimum, & in magna co-
pia. Palatum quod ibi extat à uicino pago Pietra bī-
ancha seu Leucopetra appellatur, intus totum marmo-
reum, vermiculato opere in ipsis cubiculis ornatum.
Adest Nympha dormiens, & incumbens vrnæ, è qua
profluit ingens copia limpidissimæ aquæ, ea deinde per
canales marmoreos (qui tamen pīscibus conseruandis
inseruiunt quasi parua quedam viuaria) dilabitur, &
reliquam partem paumenti minime lēdit. Veteres
huiuscemodi ædificia uocabant Nymphæa, tam Roma-
ni quām Græci. Verum hoc recens est, à consiliario
quodam Caroli v. Imperat. extructum circa annum 30.
Respicit ab una parte mare, ab alijs planitiem quan-
dam præaltam, cuius mira fertilitas, tum frumenti, tum
fructuum, tum olei & uini. Incredibile est sed minime
falsum reperiri ibidem uites, quarum una aliquando
producat metretas uini 12. aut 14. hoc est, urnas 6. aut
7. aliquando plures. Sed & illud mirum quod quidam
annotauit, spirante Aquilone, ex Affrica propelli in

E 2 agrum

agrum Neapolitanum tantam copiam coturnicum, ut
& glomeratim super ædes mari uicinas cadant, & sine
ulla difficultate manibus apprehendi possint, quin &
inter uolandum sæpè in ipsas triremes incidere.

Postremo ea est Neopolitani agri aménitas, ea ædi-
fiorum magnificentia, fontium & aquarum salubritas,
tanta copia illarum rerum, quæ natura tanquam miracu-
la quædā produxit, tot uestigia antiquitatum, ea denique
fructuum, aliarumque rerum ad sustentādam uitam huma-
nam necessariarum, ubertas, ut non solum pars Campa-
niæ fœlicis recte appelletur: sed uerè sit sumen quod
aiunt, fertilitatis & ipsummet cornu τις ἀμαλθείας. Quæ
omnia cum diligentissimè perlustrassemus, non tam
pertesi laboris (hunc enim facile leniebat & cupiditas
nostra & pulcherrimarum rerum inspectio) quam quod
ad musas nobis redeundum arbitraremur: relicta Nea-
poli, classe Caietam antiquissimam urbem preteruecti,
Romam contendimus, inde per Thuscos Patauium.
quo cum peruenissemus, tu per literas ab amicis uoca-
tus, in patriam profectus es: ego sequenti anno te se-
cutus sum. Vale Amplissime Præsul. Lipsiæ Calen.
Aprilis. Anno Christi 1559.

H. T. I. D.

scribebat.

Rth. 1217



18. Nov 1996

Nh 1217



TA → OL



B.I.G.



Ac 3475²³

DE RELIQVIIS
ANTIQUITATVM AGRI
NEAPOLITANI,

EPISTOLA
AD IOHANNEM
MISNAE PRAE-
SVLEM.



LIPSIAE

IOHANNES RHAMBAVVS
EXCVDEBAT.

Anno

M. D. LIX.

25